EXCELLENTISSIMO VIRO
DOMINO
PETRO MARIÆ MALOET,
EQUITI,

In Sacro Conſiſtorio Regis Senatori, Auguſtiſſimarum Galliarum Principum Regis Amitarum natu minorum, Archiatro,

DOCTORI MEDICO PARISIENSI,

DICAT, VOVET ET CONSECRAT

Obſequioſus ac devinctus
PILIBERTUS BORIE,
Bacc. Med. Parif.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO CHIRURGICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXXVI.

M. PETRO MARIA MALOET, Equite, in Sacro Consistorio Regis Senatore, augustissimarum Galliarum Principum Regis Amitarum natu minorum Archiatro, Doctore Medico, Præside.

An in calvariæ percussionibus cranii perterebratio, eo licet illæso, quandoque sit celebranda?

I.

QUÆ in gentem humanam confert officia, ea pars Medicinæ quam Chirurgiam salutant, haud minoris sunt notæ. Prisco parentum ævo omnigenas levabat ærumnas idem vir qui simul & manu strenuâ ferrum corpori admoveret, medicamina summâ cum arte pararet, quique ingenii acumine in detegendis observandisque morbis internis præ-

pollens, ipsorum curam moliretur. Cùm verò variâ cognitionum suppellectili ditata fuerit ars nostra, vestigiisque luxûs, libidinum nova insisterit morborum caterva, ad id coactus fuit Medicus, ut totis viribus soli & studio, soli & observationi penitus incumbens, industriæ aliorum quos consiliis dirigebat, Pharmaceuticas Chirurgicasque Operationes committeret. Illius verò ministri manûs dexteritatem proingenio habentes, mox jugi impatientes, magistrum abnuerunt sic que maximum arti generi que humano damnum attulerunt. Longo sat temporis spatio inculta torpuit hæc Medicinæ pars, donec quibusdam juvantibus medicis novum acquisierit decus. Elapso tandem proximè ævo theoriam praxi felici junxit connubio, neotericorum que Laboribus provecta valdè inclaruit. Artis suæ theoriam Medicis dogmatibus superstructam Chirurgus non obliviscatur; si ancipiti ipsi diagnosis dubia venerit, salutare tanquam oraculum Medicum adeat; præsertim in capitis vulneribus illius face collustrari festinet, cum nusquàm difficilius cum majori periculo judicium.

I I.

SI humorum in quodam corporis cavo effusiones eò graviora afferunt damna, quò nobilioribus incumbunt organis & minùs eorum resorptio speranda venit, maximum haud dubiò imminet periculum, cum ruptis vasis sub cranio cruor vel lympha colligitur. Reverà gravissimis ibi ansa datur malis; læduntur functiones pleræque, imò fermè abolentur. Ea inter quæ statim sese produnt signa, præsertim observari dantur animi deliquia, bilis flavæ, alias viridescentis vomitus, quod ultimum symptema tam mirum & tam constans, cerebrum compressione aut concussione malè affectum semper denotat. Divus quoque Senex hoc signum semper suspectum judicavit: *Quibus cerebrum vulneratur, febris plerumque ac bilis vomitus accedit & corporis sideratio, sic que tales perniciosè habent. Ex vulnere bilis vomitus accedens malum, & maximè in capitis vulneribus.* Si paucus effundatur humor, levis tantùm exercetur compressio, inde dolores capitis, vertigines, deliria, quibus accedunt aurium tinnitus, cruoris peros naresque ejectio, oculorum facici que rubor. Cum verò majori copiâ sub cranio sanguis extravasatur, tunc fortiori factâ pressione, hebetudines, sopores, sensuum tùm internorum, tùm externorum depravationem adducit; indè quandoque convulsio, quandoque paralysis, lotii fœcumque spontaneus exitus, febris apoplexia que lethalis.

Non rari autem dantur casus in quibus leve videtur malum, quod tamen funestus sequitur exitus. Et certe si minimâ quantitate effundatur sanguis, levia imò ferè nulla erunt symptomata; æger falsâ deludetur tranquillitate. Elapso enim majori minori ve temporis intervallo corrum-

pentur humores, in pus vertentur, indè dolor capitis conſtans, fixus, ferè que intolerabilis, ſucceſſiva functionum animalium ſubverſio, viſûs auditûſque deperditio, febris, hepatis abſceſſus, tandem ea omnia quæ jam jam retulimus; quæ quidem eò graviora ſunt, quò ignotâ mali fonte, ſupervacanea ſæpe que adverſa adhibentur auxilia.

Si verò violenta tantùm adſit commotio cerebri, gravia quæ ſtatim exorientur ſymptomata ut animi defectus, vomitus, ſæpe ſapiùs facilè evaneſcent, nullam que ſollicitudinem incauto relinquent. Quàm verò fallax pernicioſa que ſit hæc ſecuritas, innumeri commonſtrant caſus.

I I I.

NULLUS inficias ire poteſt ſanguinis effuſiones à ſolâ cerebri concuſſione, illæſâ calvariâ eſſe producendas. Quæ quidem aſſertio, ſi quis ipſi fidem denegaret, ratiocinio certiſque obſervationibus veniet confirmanda. Neminem enim niſi legum percuſſionis corporum rudem fugere valet, quin dum quis exalto v. g. delapſus in durum impingitur corpus, cerebrum calvariâ contentum eadem velocitate ac cranium deorſûm feratur; obſtaculum verò validè reſiſtens primò calvariæ ſiſtitmotum, quæ ſi vehementi percuſſione non frangatur, tunc temporis cerebri moles priorem adhuc motûs directionem ſervans ad duram calvariam validè allidi poterit ſicque inſigniter lædi. Ità ſi ſuprà calvariam corpus contundens ingenti vi dirigatur, nullum que damnum exterius niſi depreſſionem momentaneam afferat, commotione violentâ ſuccutietur cerebrum, ut que promptior erit illius reſtitutio quàm cranii, ad id fortiter allidetur, undè haud abſimilia exurgent mala. Imò faciliùs his explicatur, cur ſanguinis effuſiones in parte alliſioni oppoſitâ haud rarò accidant. In partem enim quamdam calvariæ vehementer ferri nequit cerebrum quin partis oppoſitæ cerebri meningum que vaſcula diſrumpantur communia ſuum que evomant ſanguinem. Exemplum in notis (*a*) allatum & ex operibus hippocratis deprompum evidenter comprobat tali percuſſione calvariam nec fractam, nec fiſſam aut intropreſſam fuiſſe, ſed ità læſum encephalum, ut fractis vaſis effuſi humores in fætidum ſubrubellum que ichorem degeneraverint, unde mors ipſa ſubſecuta fuit. Bohnius cujus certa authoritas, refert quòd in perluſtratione cadaveris puellæ à lapſu quarto die defunctæ, nihil omninò in capite violenti effectûs obſervaverit, ſed apertâ calvariâ elevatoque cerebro, carotidum ramum ſiniſtrum anterioremque ruptum invenerit. Quibus poſitis nullum de iis movendum eſt dubium.

(a) Pulchra erat Virgo, Nerii filia; erat quidem annorum viginti. Verùm ab amicâ mulierculâ ludente latâ manu in ſincipur percuſſa eſt, ac tunc ſanè tenebricoſâ vertigine prehenſa eſt, non ſpirabat; cumque domum perveniſſet, eam illico febris prehendit, & capitis dolor vexavit, & faciem rubor colorabat. Septimo die ad aurem dextram pus graveolens aliquantulùm rubrum, cyatho ampliùs prodiit, meliùs que habere videbatur, ac levata eſt ..... nono interiit. Hipp. epid. lib. V.

I V.

CRANII perterebrationem instituendam omnes afferunt, vel cum læso cranio ossium fragmenta membranas cerebrum ve ipsum pungant, vel cùm haud ambigua effusi sanguinis signa in propatulo adsint, nullusque ei pateat foras aditus. At innumeri dantur casus in quibus res aliter se habet, inconsultum fertur judicium, tandemque ferè deficit ars. Reverà quis sese ab errore immunem jactare auderet, ipsomet confitente Hippocrate, se suturam pro fracturâ habuisse. Facilis errori datur locus, nullâ exteriùs occurrente læsione. Hic verè anceps fluctuat Medici mens, & nisi incautè agere voluerit, semper coi senis præceptum secum volvat: *nullum capitis vulnus leviter contemni debet.* Itaque si, illæso etiam cranio, jam præfata sanguinis effusi signa certè agnoscantur, procul dubio celerrimè ad terebrationem deveniendum est. Licet etiam violentam post contusionem levia appareant symptomata venæque sectionum ope sedata videantur, ægro tunc cavendum est: nam si elapso quodam tempore superveniant Horripilationes, appetitûs dejectio, capitis dolor pertinax, jam sanguinis effusio est suspicanda; quibus signis si sese comites dent febris lenta quotidianis distincta exacerbationibus, sensuum obscuratio, aurium tinnitus, vomitus biliosi, vertigines deliriaque, absque morâ celebranda est cranii perterebratio. Ingens enim imminet periculum ne sanguis effusus in malignum vertatur ichorem, qui intrà calvariæ penetralia serpens modò ipsummet cerebrum, modò nervos, modò vascula corroderet, vel resorptus haud minorem aliis labem afferret. Indè gravis somnolentia deliriumve obscurum, visûs auditûsque abolitio, nunc convulsiones, nunc paralysis, semper hepatis abscessus, quæ, si citò citiûs iis non occurratur, in lethalem ineluctabilemque apoplexiam desinunt.

V.

AST, inquies, curisti calvariæ perterebratio, si symptomata quæcumque ictum lapsumve subsequentia licet gravem, integro remanente cranio, venæ sectionibus, resolventibus, evacuantibus tutò citòque debellentur? Cur ibi non eadem ac in aliis partibus resolutio obtineretur. Hanc objectionem falsam quotidiana arguit experientia; aliundè constat ut resolutioni præbeatur ansa, quemdam in partibus præcipuè requiri tonum. Porrò cerebri moles textu quasi pulposo donata, non nisi exiguam vim tonicam a naturâ sortita est; non mirum igitur si vascula quibus irroratur stagnantem nequeant resorbere humorem. Fomenta autem extùs applicata ut actionem directam exercere nequeunt, minimum solummodò obtinebunt effectum.

Ast instabis: quandoquidem certa effusionis signa adessent, cùm frequenter lateat sedes mali, hæc nobis rejicienda videtur operatio.

Paralysi frequenter supervenienti latus ipsi oppositum læsum fuisse eruitur. Dolor etiam fixus ac constans cuidam calvariæ parti inhærens, certum est sanè eligendi ad terebrationem loci indicium. Tandem si prior votis non responderet operatio, ad alteram esset confugiendum, ut non nunquàm in arte peritissimis, magno cum successu contigit. Itaque mihi concludere licet.

Ergô in calvariæ percussionibus, cranii perterebratio, eo licet illæso, quandoque est celebranda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Christophorus-Nicolaus DE JUSSIEU.

M. Henricus-Alexander TESSIER, Clerius, Censor Regius, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Ludovicus-Gabriel DUPRÉ, Serinissimi Principis Condæi Consiliarius Medicus.

M. Joannes-Renatus SIGAULT, è Regiâ Scientiarum Academiâ Divionensi, Regis Pensionarius.

M. Angustinus THOURET.

M. Antonius PETIT, in Horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Professor, è Regiâ Scientiarum Academiâ, & Militarium Regni Nosocomiorum Inspector.

M. Joannes THAURAUX.

M. Maria-Zorobabel MUNIER, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, domûs Regiæ Invalidorum Ducum & Militum, & antiquus Regis in Coloniis Orientalibus Medicus.

M. POURFOUR DU PETIT, Facultatis Ex-Decanus, Academiæ Censor, & rei Herbariæ Professor designatus.

Proponebat Parisiis, PHILIBERTUS BORIE, Nivernensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author.

A. R. S. H. 1786. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, viâ dictâ *du Fouarre*, 1786.